

influxus Dei prævius in causam naturaliter agentem; nam de determinatione ad individuum, et cap. 30 et aliis locis dixi sufficienter fieri a Deo per concursum concomitantem, seu per voluntatem prædefinientem suum influxum ad hanc individuum actionem et effectum. Nam cum causa secunda nullum individuum producere possit, nisi cooperante Deo, et cum Dei adjutorio possit varia individua producere de se, non magis postulat ut ad hoc individuum producendum juvetur, quam ad aliud; nec hoc potest ab ipso naturali agente, verbi gratia, igne determinari; ergo oportet ut Deus ipse determinet suam cooperationem ad talem effectum in individuo; et tunc consequenter determinatur etiam influxus ignis ad eundem effectum, non propter aliquid prævium quod in se recipiat, sed solum propter conjunctionem utriusque causæ, primæ scilicet cum secunda; eo enim ipso quod Deus præfinit juvare hic et nunc ad hunc individuum effectum et non alium, causa secunda, alias determinata ad agendum quod potuerit et ad quod adjuta fuerit, necessario efficit tale individuum, et non aliud. Hæc ergo determinatio, si consideretur quasi prævia, et in actu primo, non est formaliter in causa secunda, sed est in Deo per conjunctionem ad causam secundam sic determinatam per suam voluntatem; in actu vero secundo nihil est præter actionem talem ab utraque causa simul profluentem.

6. *An causa prima determinetur in suo concursu a secunda.* — Ad alteram partem de determinatione divini concursus, aliqui religiose formidant ita loqui, quod causa prima determinetur a secunda in suo concursu, tum quia inde sequeretur actionem causæ secundæ esse in aliquo genere priorem natura, tum quia ille modus determinationis ab alio quemdam imperfectionis modum includere videtur: nam quod ab alio determinatur, ab alio pendet: concursus autem causæ primæ non pendet a causa secunda, sed ipsa voluntate suam suum concursum accommodat et determinat, sicut ad individuum, ita et ad speciem, et ad modum concursus. Alii vero simpliciter concedunt concursum causæ primæ determinari a secunda, ut videre licet in Cajetano, 2 part., quæst. 14, art. 13, § *Neque sustinendus*, in fine; et quæst. 19, art. 8, in fine; et ex hoc principio defendit contra Scotum posse actionem aliquam esse contingentem, etiamsi Deus ageret ex necessitate naturæ.

7. *Quomodo id sit intelligendum.* — Verum-

tamen utrumque verum est si recte explicetur, et imperfectiones vel superflue actiones removeantur. Itaque dubitari non potest quin Deus sua libera voluntate definiat concursum suum non solum quoad individuum, sed etiam quoad speciem vel modum concursus. Nam divina potentia de se indifferens est ad varios concursus præstandos, non indifferentia imperfecta, sed perfectissima, quæ ab extrinseco determinari agente non potest absolute, sed tantum a propria voluntate; ergo Deus ipse est qui determinat speciem concursus, sicut et individuum. Est tamen in hoc notanda differentia, quod determinatio ad individuum nullum habet fundamentum in causa secunda, sed est ex sola voluntate Dei, ut dixi. Determinatio autem quoad speciem, licet, ut dixi, per Dei voluntatem directe et efficienter fiat, nihilominus fundamentum et aliquam rationem habet ex parte causæ secundæ, nam ideo Deus determinat huic causæ dare talem modum et speciem concursus, quia illum postulat virtus talis causæ tanquam accommodatum suæ naturæ. Unde licet non proprie dicatur actio causæ primæ determinari quoad speciem ab actione causæ secundæ, quia in hoc loquendi modo significatur ordo naturæ, cum distinctione aliqua et pluralitate actionum in re ipsa, proprie tamen dici potest causa secunda in suo genere determinare primam ad talem concursum, postulando ab illa talem concursum, et non alium, neque inde sequitur prioritas naturæ in concursu vel actione causæ secundæ, quia non postulat talem concursum Dei per suum concursum ut exhibitum, sed per virtutem aptam ad exhibendam talem cooperationem, et non aliam, et in hunc modum determinat concursum Dei quoad speciem, licet non quoad exercitium. Et sic dicitur causa prima determinari a secunda quoad contingentiam effectus, vel quoad alias proprietates, quas habet actio causæ secundæ per habitudinem ad causam proximam, cui Deus se accommodat, natura talis causæ id postulante. Et hæc doctrina est aperte D. Thom., 3 contra gent., cap. 66, ubi sic inquit: *Secunda agentia sunt quasi particulares et determinantes actionem primi agentis*; et quæst. 1 de Pot. nat., art. 4, ad 3, ubi sic inquit: *Licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur et specificatur*; quod etiam Cajetanus docuit 1 part., quæst. 14, art. 13, et quæst. 19, art. 8; et Ferrar., 1 contra gent., cap. 67, circa rationem 5, ad finem.

CAPUT XXXVII.

QUID PATRES ET PHILOSOPHI DE NECESSITATE PRÆVII CONCURSUS QUOAD CAUSAS NATURALES SENSERINT.

1. *Quomodo sit hoc loco usurpanda auctoritas.* — Præter auctoritatem Scholasticorum Theologorum, quam supra pro hac sententia retulimus, oportet securitatem ejus juxta ecclesiasticam auctoritatem, et consensionem ejus cum philosophica doctrina, præsertim Aristotelis declarare. Duo autem in nostra assertione continentur: unum est affirmativum, scilicet, necessarium esse concursum concomitantem in ipsa actione causæ secundæ, et hoc probare non oportet, quia in eo convenimus, quamvis ex his quæ dicemus satis confirmabitur. Aliud est negativum, scilicet, præter concursum simultaneum in effectum, non esse per se necessarium agentibus naturalibus concursum in ipsis receptum, et ab eorum actionibus distinctum, atque ad illas prævium. Hanc igitur solum partem intendimus auctoritate confirmare: non oportet autem ut negatio illa expresse ac formaliter, ut ita dixerim, in Patribus vel antiquis philosophis inveniatur; nunquam enim in hanc quæstionem inciderunt, aut illam subtiliter disputarunt. Satis ergo esse existimamus quod, cum multa de divina operatione docuerint, quibus concursus simultaneus adstruitur, nunquam alterius concursus prævii meminerunt, neque illius necessitatem nobis indicarunt. Hinc enim, alio supra tradito principio posito, quod illa præmotio, si necessaria non est, non datur, credimus assertionem positam philosophorum et Patrum, imo et sacre Scripturæ auctoritate posse non leviter confirmari; quia in his omnibus solum legimus nihil fieri aut posse fieri in mundo, quod Deus ipse non faciat, et nihil aliud nos docent ut necessarium, vel ad eminentiam et universalitatem divinæ causalitatis, vel ad præstandum naturalibus causis auxilium sufficiens, quo suos connaturales effectus producant. Ergo eo ipso tacite indicant aliam præviam motionem, quæ a solo Deo fieri debeat, necessariam non esse. Consequentia fit valde verisimilis ex dicto principio. Antecedens autem quoad utramque partem probamus per dicta tria membra discutendo.

2. *Scripturæ auctoritas quæ omnia Deo tribuit, et non meminit hujus præmotionis.* — Et primo ex Scriptura, ad probandum concursum

8. *An inde eliciatur necessitas hujus prævii concursus.* — Unde facile intelligitur ad hunc modum determinationis causæ primæ a secunda non esse necessarium concursum prævium receptum in causa secunda, quia non est determinatio ipsius concursus in actu secundo (ut sic dicam), vel prout jam emanantis a Deo, sed est determinatio quasi in actu primo, et ad rem explicandam dici potest determinatio quoad sufficientiam, non quoad efficaciam, quæ solum provenit ex conjunctione talium duorum agentium ad efficiendam unam et eandem actionem, ad quam est determinata et quasi contracta virtus causæ secundæ: virtus autem causæ primæ per se spectata non est limitata ad talem modum actionis, vel concursus; conjuncta vero cum tali causa ad juvandam illam, consequenter determinatur ad agendum juxta exigentiam talis causæ, et non aliter. Et in hoc sensu, et non in alio locutus est Cajetanus, ut declararet quod, licet Deus concurreret cum causa secunda ex necessitate naturæ, si supponeretur in homine libertas arbitrii, non necessitaret illum ex vi concursus, quia non per se solum ageret, sed simul cum causa secunda, et ideo ab illa determinaretur ad talem modum agendi, etiamsi nihil in illam prius influeret. Et hoc bene declarat exemplum quod adducit de principio certo de fide, vel evidenter ac per se noto, concurrente cum præmissa probabili ad assensum; ab illa enim determinatur ut tantum influat in assensum probabilem, quæ determinatio non est per influxum unius præmissæ in aliam, sed per solam conjunctionem ad eliciendum eundem assensum, in quem non prius influat una præmissa quam alia, sed utraque simul mutuo se juvantes; quia vero sunt inæquales, inferior determinat, et quasi limitat superiorem. Ita ergo, servata proportionem, intelligendum est in causa prima et secunda, remotis imperfectionibus, quia causa prima non necessitatur; sicut enim non necessario agit ad extra, ita etiam absolute, non necessario determinatur a causa secunda, sed ipsa voluntarie se determinat illi, quanquam, ex hypothesi quod non vult sola agere, sed cum tali causa, et juxta exigentiam naturæ ejus, ad dandum concursum in tali specie et modo necessario determinetur. Concludimus ergo nullo vero titulo vel ratione inveniri hanc necessariam præviam motionem primæ causæ receptam in secunda ante actionem ejus, ac proinde admittendam non esse.

Dei cum causis secundis, solum habemus illa testimonia in quibus omnes effectus, et opera causarum secundarum Deo ut nunc operanti, et per se ac proprie facienti tribuuntur, ut est illud Isaïæ 26: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine*; et illud Joan. 5: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*; et illud Job 10: *Etenim manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu*; et Ps. 138: *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim manus tua deducet me, utique mecum cooperando*; et clarior Psalm. 146: *Qui operit cælum nubibus, et parat terræ pluviam, qui producit in montibus fœnum, et herbam servituli hominum, etc.* Et similia sunt infinita in Scriptura, in quibus ipsamet effecta et opera causarum secundarum Deo tribuuntur, et per hunc modum explicant cooperationem ejus cum causis secundis in his quæ naturalia sunt: quæ simpliciter et verissime intelliguntur ratione divini concursus essentialiter imbibiti in actione creaturæ. Ratione ejus, possunt ad omnes naturales causas applicari verba Christi, Joan. 15: *Sine me nihil potestis facere*, et verba Pauli ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*. Ita enim illa D. Thomas applicat lib. 3 contra gent., cap. 67, et alia similia. Ergo illa motio prævia quoad hos effectus naturalium causarum non habet in Scriptura fundamentum; non est ergo ex vi Scripturæ necessaria, et consequenter nec asserenda.

3. *Replica rejicitur.* — Dices interdum talem effectum tribui Deo, excludendo causam secundam, quod non aliter potest esse verum, nisi quia aliquid proprium operatur ibi causa prima, ratione cujus totum illi soli tribuitur. Assumptum patet ex illo Jerem. 18: *Sicut lutum in manu figuli, ita et vos in manu mea, domus Israel*. Apertius 2 Machab. 7: *Singulorum membra non ego ipsa compegi*, etc. Ac denique Actor. 17 dicitur: *In ipso vivimus, movemur et sumus*, ubi particula *in ipso* indicat præviam virtutem Dei, per quam vivimus et operamur. Sed hæc nihil ad præsentem causam faciunt; nam in primo testimonio non agitur de concursu Dei cum causis secundis, sed de potestate quam Deus habet ad affligendos et sublevandos homines, majori facilitate quam posset figulus vas a se confectum frangere, et in meliorem formam restituere. Unde post verba allegata subjungit Deus: *Repente loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud*; et infra: *Ecce ego fingo contra vos malum, etc.*,

ubi Hieronymus et D. Thomas ponderant verbum *fingo* alludere ad parabolam, seu exemplum figuli. Unde recte Maldonatus ibi contra hæreticos advertit non agi ibi de animo, sed de corpore, de morte, et vita, et rebus adversis et prosperis, de captivitate, et liberatione ab illa, quasi dicat: *Ego possum mortificare, et vivificare, deducere ad inferos, et reducere*, 1 Reg. 2.

4. *Idem ostenditur.* — In alio vero testimonio non excluditur actio causæ secundæ, sed tribuitur principaliter Deo, (tanquam primo agenti, in cujus virtute, vel mater, vel semen patris in formatione hominis operatur, ut ibi Lyranus notat: ut enim mater illa Machabæorum mentem filiorum ad Deum erigeret, omnia in eum refert, et illi soli beneficium generationis et formationis corporis humani tribuit, ad eum scilicet modum quo Paulus dixit: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, ex quo dixit Gregorius, 16 Moral., cap. 16: *Deum solum dici esse, quia licet aliæ res etiam sint, non tamen principaliter sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et, nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt*. Unde infra concludit: *In omni igitur causa solus ille metuendus est, qui principaliter est*. Tertium denique testimonium potius confirmat discursum factum, nam, ut Augustinus dicit lib. 4 de Genes. ad litter., cap. 12: *Verbum istud: In quo vivimus, etc., liquido cogitatum, quantum humana mens valet, adjuvat hanc sententiam, qua credimus et dicimus Deum in his que creavit indesinenter operari*. Et infra: *Non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur*. Ita ergo in illo agunt causæ secundæ, quia idem Deus agit et operatur quod ipsæ.

5. *Patrum auctoritas qui declarant divinum concursum per cooperationem cum creatura, non per aliquid prævium.* Secundo, possumus simili modo ex Patribus argumentari; sicut enim concursus Dei ad operationes creaturarum ubique requirunt, ita illum non nisi per divinam cooperationem cum creatura declarant. Id constare potest ex Gregorio Nazianzeno, orat. 34, quæ est secunda de Theologia; Basil., homil. 9 Exaemer.; Dionys., de divinis nomin., cap. 4, p. 4; Bernard., de Grat. et liber. arbitr., post medium, tractans verba Sapient. 8: *Atingit a fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter*; Prospero, in lib. Sentent., in 277; et Gregor., lib. 6 Moral., cap. 6, alias 8; et lib. 16, cap. 16, alias 18; præcipue vero Augustini sententia expendenda est, quia P. Alvarez, disputat. 18, dicit suam

sententiam esse expressam D. Augustini; nulum tamen ejus testimonium adducit præter ea quæ pertinent ad auxilia gratiæ, quæ ad rem præsentem non faciunt, ut postea videbimus. Augustinus ergo, in Epist. 146, quæst. 2, ubi docet nunc Deum operari cuncta quæ creantur, et corporum lineamenta formare, et ita exponit verba Christi Matth. 6: *Si fœnum quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit*; cum enim dixit, *vestit*, non de præterita ordinatione, sed de præsentis operatione satis indicat. Et simili modo ponderans verbum, *Deus dat corpus*, 1 Corinth. 15, ait: *Non dixit: Dedit, sed: Dat, ut creatorem intelligas efficaciam sapientiæ suæ rebus, quæ quotidie suis temporibus oriuntur, condendis adhibere*. In quibus ultimis verbis pondero non aliter explicare Augustinum hanc Dei operationem, nisi per efficaciam quam quotidie tribuit rebus, quæ a causis secundis fiunt, illas utique efficiendo. Et lib. 5 Genes. ad litter., cap. 20, eadem testimonia eodem modo expendens, ait: *Sic ergo credamus, vel si possumus intelligamus usque nunc operari Deum, ut, si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intereant*. In hoc ergo ponit necessitatem divini influxus et operationis continuæ, quod sine illius operatione nihil potest subsistere, aut in esse conservari, ac subinde nec incipere, ex quo solum colligitur necessitas influxus in effectum et actionem omnis causæ, non vero alterius in causam, præter eum qui ad conservationem ejus et virtutis ejus necessarius est.

6. *Quæ ex Augustino objiciuntur.* — Sed instari potest, quia statim in eodem capite subjungit Augustinus: *Movet itaque occulta potentia universam creaturam, eoque motu illa versata, dum Angeli jussa perficiunt, dum circummeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus et diversis etiam per aerem conglotationibus agitatur, dum vireta pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui justos exercere permittuntur, explicat sæcula, quæ illuc cum primum condita sunt tanquam implicita indiderat. Quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, provido motu administrare cessaret*. In his quippe verbis videtur Augustinus, præter singulorum effectuum operationes, requirere providum motum quo Deus causas singulas ad suas operationes applicet. Et hoc ipsum significaverat lib. 4, cap. 12, dicens, non ita Deum die septimo ab opere condendi

creaturam requiescere, *ut a cæli et terræ, omniumque rerum quas condiderat, gubernatione cessaret, alioqui continuo dilaberentur. Creatoris enim potentia, eo omnipotentis atque omnipotentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul illorum cessaret species, omnisque natura concideret*. In quibus verbis non solum influxum in ipsis effectibus, sed etiam speciale regimen causarum, quod non fit sine illarum motione, requirit. Unde paulo inferius, tractans verba Sapient. 7: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, sic ea interpretatur: *Ejus motus agilior celeriorque est omnibus motibus*; et subjungit: *Satis apparet recte intuentibus, hunc ipsum incomparabilem et ineffabilem et si possit intelligi stabilem motum suum, rebus eam præbere suaviter disponendis, quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras*. Et lib. 9, cap. 15, multa similia habet, in quibus indicare videtur ad exactam Dei providentiam, præter operationem ipsorum effectuum, necessariam esse occultam quamdam et intimam motionem, quæ causas ipsas regat, excitet, et ad operandum applicet.

7. *Solvuntur et explicantur.* — Verumtamen hi modi loquendi, et similes, qui in Patribus de providentia Dei agentibus reperiuntur, nostram probationem non infirmant, sed potius confirmant; solum enim per illa verba docemur, nihil fieri in universo quod ad ejus conservationem, vel rerum procreationem conducat, quod non a Deo agente et movente, sapienterque omnia providente fiat. Et hoc egregie confirmavit et indicavit Augustinus illis verbis: *Provido motu Deus administrat ea quæ condidit*. Unde considerari debet aliud esse loqui de singulis causis secundis simplicibus (ut sic dicam), prout unaquæque habet per se sufficientem virtutem ad agendum suum peculiarem effectum; aliud vero esse loqui de toto ordine causarum universi, et de effectibus qui ex variis conjunctionibus, aut separationibus earum proveniunt. Quando enim causa est prioris generis, si supponatur habere alia requisita ad agendum ex parte materiæ, seu passi, et nullum habere extrinsecum impedimentum agendi, tunc ad effectum sola actio proximæ causæ per se necessaria est, quam a Deo fieri etiam necesse est, quia nihil in rerum natura esse potest nisi Deus illud operetur: alia autem motio ex parte Dei tunc necessaria non est, nec Augustinus ullo